







1716, 13

26

ALMÆ  
UNIVERSITATIS ERFORDIENSIS  
PRO-RECTOR  
ET FACULT. JURIDICÆ  
DECANUS,  
JOANNES  
PHILIPPUS  
Streit/ J. U. D.

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS  
MOGUNTINI CONSILIARIUS  
REGIMINIS.

L. B. S.



ERFORDIÆ,  
TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII,  
ACAD. TYPOGR.

ED  
AS  
IE







Inter testamentum & Codicillos  
 varia ab interpretibus differē-  
 tia recensentur, principalior &  
 fundamentalis est, quod here-  
 ditas codicillis nec dari, nec adi-  
 mi, nec exheredatio scribi pos-  
 sit. Quod adeò verum est, ut nec liberis suis. *L.*  
*scævola. 76. ff. ad SCrum Trebell.* nec piæ causæ  
 hereditas in Codicillis directò relinqui possit, ut  
 evincitur ex §. *Codicillis autem. 2. Inst. de Codicill.*  
*L. quod per manus 10. ff. de jur. Codic. Carpz. part.*  
*2. Decis. 152. n. 3.* ne confundatur jus testamento-  
 rum & Codicillorum. *dict. §. 2.* cum enim here-  
 dis institutio & exheredatio sint fundamentum te-  
 stamenti & substantia ejus, non potest ea Codicil-  
 lis



lis attribui, alias conciderent in idem, quod fieri non potest. Rationem aliam assignat Papianus in d. L. 10. ne per Codicillos, qui ex testamento valerent, ipsum testamentum, quod vires per institutionem heredum recipit, confirmari videatur. Si enim liceret Codicillis heredem instituere, & hereditatem dare aut adimere, sequeretur testamentum infirmari, & revocari per Codicillos posse, atque ita per accessorium confirmari aut infirmari Principale, & illius majorem esse vim, quam hujus, quod esset absurdum. *Jul. Pac. in Isag. ff. de Jur. Codicill. num. 7.* duæ etiam res sibi invicem causæ eodem modo esse nequeunt. *Carpz. dict. Decis. 152. n. 5.* Quod dictum hereditatem adimi non posse, hoc adeo verum, ut neque conditio in Codicillis adjici possit heredi in testamento scripto, aut etiam legitimo, quoniam in defectum Conditionis, testator ei eam ademisse videretur. *L. Quidam in suo. 27. §. fin. ff. de condit. instit.* Neque ei directò substitui, cum substitutio sit secundi heredis institutio. *L. 6. ff. de Jur. Codicill. Perez. in Codic. de Codicill. n. 7.* Quod si tamen hereditas Codicillis directò relicta fuerit, flectitur directà Voluntas in fideicommissariam, qua-



si ab intestato succedens rogatus esset restituere hereditatem. *L. 3. in pr. ff. de Jur. Codicill.* Et hoc ut sustineatur Voluntas eo modo quo potest. *Zoëf. d. t. n. 7.* Rationem disparitatis inter directam & obliquam institutionem dat Manzius. *ad d. §. Codicillis autem. 2. n. 3. seq.* scilicet, quod per hereditatem directam transteratur familia, quæ Juris Civilis est, ut actu civili tantum, id est, testamento transferri, fideicommissum verò ex jure naturali, & æquitate profluat, ut etiam per Codicillos relinquì possit. Etiam substitutio directa facta pupillo trahitur ad fideicommissariam substitutionem, scævola enim libro decimo nono Digestorum respondit, *si pater filium suum impuberem ex asse scripserit heredem, eique Codicillis substituerit, deinde filius impubes decesserit: licet substitutio inutilis sit, quia Codicillis hereditas neque dari neque adimi potest: tamen benigna interpretatione placet, ut mater, quæ ab intestato pupillo successit, substitutis fideicommisso obligetur dict. L. 76. ad Scutum Trebell.* An autem substitutio verbis directis facta post pubertatem ad fideicommissariam trahenda sit, controversitur, quam controversiam, insuper alias, quæ ad intellectum *dict. L. 76.* pertinent



tinent ex Cathedra decidet & explanabit Nobil.  
& Clarissimus Dominus

**CHRISTIANUS GOTTLIEB  
HOFFMANN,**

JURIUM CANDIDATUS EXIMIUS.

Patrem habuit Dn. M. *Godofredum Hoffmannum*,  
Rectorem per viginti annos Lycei Laubanensis,  
per quatuor Gymnasii Zittaviensis; Mater fuit  
*Martha Güntherinn*, ex familiâ Laubæ florentis-  
simâ progenerâ, verum hac in tenerrima filii atate  
morte ereptâ, vidit curas maternas ex assè devo-  
lutas in honoratissimos Fratres atque Affines, quos  
beate defuncta mater superstites reliquerat, qui-  
que adhuc hodie partim Laubæ, partim Zittaviæ,  
partim Lipsiæ optimâ fruuntur fortunâ. Parente  
ad secunda vota transeunte altera ei, ut ipse asserit,  
divinitus reddita fuit mater in noverca honoratif-  
sima Dn. *Christiana Schœnfelderinn*, quæ non so-  
lum salutem suam fideliter curavit, verum & sin-  
gulari consanguinitatis nexu juncta genti Nese-  
nianæ; paravit ei insimul faciliorem aditum ad  
patrocinium NESenianum. Prima ergo pieta-  
tis

ED  
S  
LE





tis ac studiorum fundamenta jecit sub manu-  
ductione honoratissimi sui patris; nec redice-  
re vult singularem operam, quam impenderunt  
dilectissimi Collegæ Parentis in utraque schola  
Laubæ atque Zittaviæ. Nihil itaque superetat,  
quàm in Academia quoque dilectissimi parentis  
curam experiri, verum providentissimus DEUS  
forti humanæ eum eripiebat An. 1712. d. i. Octob.  
neque hoc solum vulnus filio infligebat, verum  
etiam honoratissimum avum Dn. *Joachimum*  
*Güntherum* Consulem quondam Resp. Lauban.  
meritissimum uno eodemque tempore cœlitus  
evocabat. Ex utroque ergo latere denuò orpha-  
nus, accendebat tamen providentissimum Numen  
Patronorum Zittaviensium, in Candidatum no-  
strum affectum penitus singularem. Magnificus  
enim Senatus Zittaviensis plura in eum confere-  
bat beneficia, quàm quæ ex Laribus paternis ex-  
pectare poterat; Tanto ergo nixus patrocínio  
Academiam Lipsiensem petiit, studiisque se to-  
tum mancipavit, cum cæteras curas largissimis  
tolleret stipendiis Amplissimus Senatus Zittavi-  
ensis; in Incltyti hujus Collegii beneficiis, recen-  
sendis se longè imparem profitetur. In Acade-  
mia



mia Lipsiensi primum in jure habuit Antecessorem Dn. D. *Joh. Frid. Olearium*, qui non solum solidissima manu ductione ipsi semper præstò fuit, verum & privatis consiliis studiorum suorum cursum direxit. Nec minores debet grates Domino *Gottlieb Gerh. Titio* Jcto Celeberrimo, cujus mortem præmaturam singulariter deplorat. Deinde Praxi se dedit præeunte Dn. *Siegmund Gottlieb Hilligero*, quem ob studium & indefessum laborem, in se & multos alios collatum laudat. Insuper tentavit specimina disputatoria ad Magnifici Dn. *Luderi Menckenii* Gymnasium polemicum, eoque Præside dissertationem defendit de Usu practico Arboris consanguinitatis & Affinitatis in universo jure. Audivit porrò Dn. Doct. *Franckensteinium* de Jure Publico differentem, Dn. D. *Kemmerichium* de Jurispr. Universali, atque intra privatos parietes collegia disputatoria sæpius habuit sub moderamine Dn. *L. Olearii*. Nunc ubi ad Praxin animum penitus applicare constituit, noluit posthabito ordine, arduum hoc suscipere munus, verum eum in finem solenni dissertatione legitimationis actum suscipiet; eo igitur dissertationis suæ argumentum direxit, ut  
 vel



vel ex eo quisque possit intelligere, quis futurae  
suae vitae scopus sit. Ut autem de acquisita eru-  
ditione magis constaret, publicam acquisitae eru-  
ditionis testimonium merito desiderat, proinde  
desiderium suum Facultati nostrae aperuit, & ad  
examen vigorosum admitti decenter petiit. Lau-  
dabili desiderio annuit Inclyta Facultas, ipsique  
secundum statutorum tenorem textus ex utro-  
que jure elaborandos transmisit, quos tam per-  
spicue ac solide exposuit, ac quaestiones propo-  
sitas doctè adeò resolvit, ut unanimi consensu  
supremis Jurium Honoribus dignissimus Judica-  
tus sit. Proinde Lectionem Cursoriam ad *dic.*  
*L. scævola 76. ff. ad SCtum Trebell.* eaque fi-  
nitâ Disputationem Inauguralem cras horis con-  
suetis habebit. Quibus actibus solennibus, ut  
Domini Proceres & Cives Academici frequen-  
tes interesse veluit, decenter invitantur. Publi-  
catum sub Sigillo Facultatis Juridicæ 23. Februar.  
Anno 1716.

(L.S.)



ULB Halle  
001 972 26X 3




*s. b.*









Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

26

124

FORDIENSIS  
TOR  
RIDICÆ  
IS,  
NES  
PUS  
U.D.

IPIS ELECTORIS  
SILIARIUS  
S.

GROSCHII,  
R.

ED  
S.  
IE